

facturi sunt, qui beneficia possident, ita ipsi eciam de pecuniis suis collationem faciant ad murum faciendum circa aeclesiam beati Petri apostoli Rome, eo quod hoc deceat¹ plurimum, ut matrem filii honorent et, in quantum valent, tueantur atque defendant.

VIII. Decretum quoque et confirmatum habemus, ut karissimus filius noster cum omni exercitu Italiae et parte ex Francia, Burgundia atque Provincia in Beneventum profisciscatur², ut inde inimicos Christi Sarracenos et Mauros eiciat, tam propter hoc, quod ipse populus nostrum auxilium expetit, quam propterea, quod certissime novimus, si infideles illam terram obtinuerint, eos Romaniam, quod absit, et magnam partem Italiae invasuros. Ipse vero filius noster ita ire debebit, ut VIII. kal. Febr. ad Papiam cum exercitu veniat, medio Marcio ad Alarinum³ perveniat.

X. Summopere iubemus et modis omnibus observandum censem, ut quicumque illuc ibunt, sine praedatione⁴ christiani populi vadant, quoniam propter hoc magnum nobis malum accidisse non dubitamus.

XI. Missos quoque nostros constitutos habemus Petrum venerabilem episcopum, Anselmum vocatum episcopum et Witonem inlustrem comitem, qui in Beneventum ad Sigenulfum et Radalgisum vadant et eos inter se pacificent legesque et condiciones pacis aequissimas inter eos decernant et regnum Beneventanum, si pacificati fuerint, inter eos aequaliter dividant, atque ex nostra parte eis securitatem et consensum honoris sacramento confirment et ab eis similiter ad nostram partem adiutoriumque filii nostri expulsionemque Sarracenorum sacramentum accipiant⁵.

XII. Sergio quoque magistro militum mandamus, ut ipse pacis auctor inter illos et auxiliator filii nostri existat⁶; similiter Apostolico et Petro Venaeciarum duci, ut adiutorium ex Pentapoli⁷ et Venecia navali expeditione⁸ faciant ad opprimendos in Benevento Sarracenos.

XIII. Ut autem haec omnia competenter implere possimus, ieiunio triduo per omne regnum nostrum devotissime Christi misericordiam pro nostris peccatis exorandum censem⁹.

1) 'doceat' cod. XXX. 2) 'profisciscantur' codd. 3) Nicht 'Alatrum' oder 'Alatrium', wie Bluhme a. a. O. p. 261 Anm. 12 will, sondern 'Larino', vgl. Böhrer-Mühlbacher n. 1094. Im Druck Wiener S. B. XLVI p. 70 ist die hierher bezügliche, in den Separatabdrücken fehlende, Anm. 3 (corr. Apostolicum) stehen geblieben; sie ist, als auf einem Versehen beruhend, zu tilgen. 4) 'praedicatione' cod. XV. 5) 'suscipiant' Bluhme. 6) 'existet' Bluhme. 7) 'Pentapolim' codd. 8) 'navalem expeditionem' cod. XV. 9) Die folgende Liste ist bei Maassen nicht in Spalten, sondern in fortlaufenden Zeilen gedruckt, bei Reifferscheid und nach ihm bei Bluhme zwar in vier Spalten, aber ohne die Anordnung